



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. De dispositionibus seu renuntiationibus bonorum, quæ ante
professionem â novitio fieri solent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quamvis enim propriè religiosi non sint, sunt tamen pars aliqua specialiter privilegiatæ communitatis, & sicuti non potest sine justa causa novitium à se dimittere religio, ita nec potest sine justa causa eum privare favoribus; & privilegijs ordini tali communiter concessis.

§. VII.

De dispositionibus seu renuntiacionibus bonorum, qua ante professionem à novitijs fieri solent.

Quod possint, & debeant novitij, antequam professionem religiosam emittant, de rebus, & bonis suis temporalibus, quæ in sæculo habebant, disponere, ac illis renuntiare, & irrevocabiliter abdicare se, vel si non disposerint aliter, transeant eam monasterium, si tamen hoc successione hæreditariæ capax sit, aut ad hæredes ab intestato, casu quo monasterium successione capax non est, certum est, & natura professionis exigit, quando autem & quomodo hæc renuntiatio faciendâ sit, non tam ex jure antiquo peti debet, quam ex decreto Tridentini Sess. 25. de regularibus cap. 16. ubi sic statuitur: *nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta (id est ante completum probationis annum) etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus vicarij fiat, intra duos menses proximos, ante professionem, ac non aliàs, intelligatur effectum suum sortiri, nisi secutâ professione; aliter verò facta, etiam si cum hujus favoris expressa renun-*

tiacione, etiam jurata, si irrita, & nullus effectus. Ad cujus decreti meliorem intelligentiam

Notandum 1. nomine renuntiacionis in hoc decreto prohibet, & irrita, venire eas donationes, aut renuntiaciones, quæ quidem factæ sunt ante ingressum in religionem, non tamen in tempore ingressus, sed factæ sunt ab eo, qui in tempore nec animum habuit ingrediendi in religionem, nec præsumi potestas animo factas fuisse, qualis animus tunc præsumeretur, si factæ donationes fuissent in notabili quantitate, nec enim in illis casibus libertas taliter donantis ad egrediendum ex religione, & postmodum eam ingrediendum, impeditur.

Notandum 2. comprehenduntur probabiliter eos donationes, quæ factæ ab ingressuris religionem, ante ingressum quidem, & assumptum habitum regularem, dum adhuc in sæculo exant, propter ingressum tamen paulò publicaturum, sive hic causa principalis, & finalis donandi fuerit, ita ut professione secutâ hæc donata repeti possint, si ingressus hic causa impulsiva fuerit donationis, cum enim verba Concilij universalis, irritantia donationes hujusmodi formæ præscriptæ factas, si fuerint à novitijs, ut ne tollatur illi ad egrediendum libertas, consequenter etiam rectè extendi posse videntur, ad omnes donationes intuitu ingressus in religionem factas, & ingressum impediennes: hæc tamen extensio tam certa non est, ut non potest eam negent, qui sub rigida restrictione Concilij, & juris antiqui correctio-

hendit, sed validas fore, prout pluribus etiam colligunt Authores ex contextu verborum Concilij Trident: de ingressis loquentis, non de ingressuris.

Notandum 3. nullas esse, & irritas eas renuntiationes, quæ fiunt à novitio, quamvis hic 16. annum jam egressus sit, si fiant ante duos proximos menses professionem præcedentes; vel si fiant intra duos quidem hos menses, sine licentia tamen, Episcopi, vel ejus Vicarij, etiam si fierent sub expressa conditione, quod professione non secuta valituræ non essent, tum quod verba Tridentini absolute loquantur: tum quod tali egressuro ex novitiatu saltem timenda foret cum illis, in quorum favorem facta fuit talis renuntiatio, & consequenter tam expeditam libertatem egrediendi non haberet, cui per suum decretum cavere voluit Tridentinum.

Notandum 4. non comprehendi hoc decreto Concilij, candidatos, & novitios Societatis JESU, qui bonorum suorum renuntiationes facere debent, juxta societatis dictæ constitutiones, quando superior jusserit, prout expressis verbis etiam ab hac sua decisione excipit Societatem dictam Tridentinum.

Notandum 5. intelligi quidem in decreto Concilij, nomine renuntiationis, etiam donationes inter vivos, quod etiam hæc scilicet irritæ, & nullæ sint, si tempore non debito, & sine forma præscripta fiant, quia finis hujus decreti in talibus etiam donationibus locum habet, non tamen prohiberi, & irritari per hoc decretum, eas etiam donationes, quæ fiunt religioni tali, in qua versatur novitius, pro victu & vestitu illius; vel si

Compend. Pirrhings.

modica tantum donatio personis etiam laicis fiat, spectando facultates novitij, vel si per modum elemosinæ donetur aliquid monasterio, modò non in notabili quantitate, vel si ex proprijs bonis aliquid, etiam in magna quantitate monasterio v. g. in quo novitius probatur, largiantur parentes, aut consanguinei novitij &c. cum his talibus donationibus, vel nihil, vel parùm impediatur libertas novitij ad egrediendum.

Notandum 6. sub nomine renuntiationis in hoc decreto prohibite novitij, & irritæ, comprehendi etiam donationem mutui, si quid scilicet ex bonis novitij tribuatur monasterio, in quo probatur, sub nomine, & titulo mutui (cum tale mutuum vel virtualem donationem contineat, vel saltem difficilem recuperationem) & omnes alios contractus merè lucrativos, non tamen omnes onerosos, cum enim in his contractibus tantum recipiatur, quantum datur, non tamen in illis, consequenter non prohibent libertatem egrediendi contractus onerosi, si cuti prohibent, qui parti, cum qua contrahitur, sunt merè lucrativi.

Notandum 7. in quibusdam religionibus usum non esse petendæ ab Episcopo, aut ejus Vicario licentiæ ad disponendum, consuetudine scilicet contrariâ praxin Tridentini decreti, quoad hanc partem, abrogante: neque necessarium esse, ut fiat talis dispositio duobus mensibus ante professionem, sed satisfieri decreto Tridentini, si fiat intra duos menses professionem proximè præcedentes.

Notandum denique 8. renuntiationem talem à novitio semel legitime, &c. D d d d juxta

juxta præscriptum Tridentini factam irrevocabilem quidem esse, validam tamen non fore, si professio, & quidem valida, non sequatur, & consequenter si moriatur talis novitius ante professionem; vel si professionem quidem faciat, hæc tamen ob defectum aliquem invalida sit, vel si factâ quidem legitime renuntiatione, ante professionem tamen ad sæculum ex religione egrediatur, nulla erit facta renuntiatione, sed bona taliter renuntiata, vel ad novitium egredientem redibunt, vel ad hæredes ab intestato in casu mortui ante professionem validam novitij pervenient: expressè enim Tridentinum ad validam talem renuntiationem requirit, professionem esse secutam, ut libertati novitij, quam habet ad egrediendum, usque dum fecit professionem, sit semper consultum (neque tamen sua probabilitas illi etiam sententiæ negari potest, quæ vult validam fore renuntiationem, si post eam legitimè factam, ante professionem talem enisiam moriatur novitius, cum in tali casu libertati novitij nihil adimatur, sed potius animæ illius bono, per piam talem dispositionem factam, consulatur. Quod autem irrevocabilis hæc sit (si velit tamen hic in religione permanere) ex eo probatur, quod donationes conditionales, qualis hæc est, dependens à conditione futuræ professionis, pendente conditione sint irrevocabiles, ne spes sua alteri adimatur, si conditio postmodum impletur.

✠(o)✠

SECTIO III.

De Professione religioſa

I.

Quid sit Professio religioſa, quomplex.

Religioſa Professio generaliter dicitur, et loquendo, rectè dicitur, *Etus religioſus & sacer, per quem honorariè se tradit Deo, in religioſa vita, quoad certum modum, & institutum vivendi, & quidem sub voto paupertatis, caſtitaſ, & obedientia, idque interveniente ſua acceptatione, qui diſtam religionem nomine Dei acceptat. Si rectè vero dicitur, profefſio eſt illa, que ſit diſto modo, per ſa tamen ſolemnia, omnia aliaque irrevocabiliter ex utraque parte: hæc profefſio duplex eſſe poteſt, tacita, que ſit verbo, vel ſcripto, & ſcriptura, una aliquid, & plures etiam actus, profefſionem proprios, exercendo.*

§. II.

Qua forma, ſeu modo Profefſio preſſa fieri poſſit aut debeat.

Fieri eam poſſe, non tantum regulariter ſic, aut ſcripto, ſed alijs etiam nutibus & ſignis, & traditionem perſonæ proſitenti, & ſiſſimam acceptationem religioſam.